



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Exorcismorum

Eynatten, Maximilien de

Antverpiae, 1626

Instrvctio IX. De ijs quæ debet Exorcista obseruare circa & post egressum
dæmonum è corporibus obsessis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40734

Quantum in ipso erit, Exorcista nullam dabit requiem dæmoni inter exorcizandum, sed continuè illum vexabit & cruciabit orationibus, lectionibus, & exorcismis; multò minùs cum eodem aliquid extranei tractabit confabulando, vel aliquid aliud ad rem nihil faciens agendo, ne ei interim det tempus reassumendi vires. Considerabit se habere negotium cum capitali & infestissimo hoste.

INSTRVCTIO IX.

De iis quæ debet Exorcista obseruare circa & post egressum demonum è corporibus obsessis.

QUANDO Exorcista aduertet dæmonem esse deuictum, & iam eiiciendum Dei potentia & iussu è corpore obsesso, præcipiet eidem ne egrediendo lædat corpus creatum à Deo, sed illud sanum, liberum, ac expeditum ad seruiendum & glorificandum Deo relinquat. Coget dæmonem dare aliquod signū recessus sui cum tota sua damnata societate. Solent enim aliquando aliqui eorum remanere in corpore, & latere aliquo tempore absque vlla vexatione, vt sic decipiant ministrum Dei; proinde Exorcista non erit securus, nisi liquidè illi constet afflictum planè liberatum. Vnde non statim

tim

tim illum deseret, vel sibi relinquet, nec etiam postquam liberatus fuerit, memor moniti Saluatoris Lucæ 11. quantas insidias assumpto auxilio ponat, vt vnde cum ignominia eiectus est, denuò possit redire, noscés tunc posteriora fore peiora prioribus. hinc est quòd liberati maiores sæpè sentiant tentationes postquam liberati fuerint quàm antè. Quare Exorcista vel curam animarum gerens adiuuabit liberatum instruendo & monendo vt vigilet in silentio & orationibus, vt se exerceat in bonis operibus, frequentissimè confiteatur & communice, castè & pudicè viuat, & in omnibus tentationibus & difficultatibus suis, cum discretionè & ædificatione, semper ad prudentem Confessarium habeat recursum.

Solent subinde etiam dæmones, postquã coacti sint egredi, persuadere, personam liberatam numquam fuisse obsessam, vt hac ratione imminuant gloriam Dei, eneruent efficaciam exorcismorum Ecclesiæ, ingerât varias dubitationes & incredulitatès, denique vt reddant liberatum cum suis ingratum erga Deum & ministrum eius. Contra has insidias Exorcista habebit in promptis salutaria monita & instructiones, quibus excitabit tam liberatum quàm alios ad gratiarum actionem, & deteget insidias diaboli,

36 MANVAL. EXORCISM. PARS I.
li, qui confusus virtute Christi, conatur de-
primere eius potentiam & maiestatem.

Egrediuntur autem dæmones è corpori-
bus obsessis aliquando per os in modum
flammæ ignis: aliquando per modum ven-
ti: aliquando in forma apum vel formica-
rum. Aliquando exeunt per aures, & sen-
tiunt energumeni discessum à stomacho, à
corde, & ab omnibus partibus corporis sen-
sibiliter. Subinde etiam egrediuntur per se-
cessum in similitudinem pilæ quæ in gyrum
voluitur, & è corpore eiicitur. Etiam per
nares egrediuntur in similitudinem guttæ
sanguinis defluentis, aliisque variis modis &
signis quæ prudens Exorcista facile aduer-
tet. quibus tamen non statim ita credet,
quin exorcismis & aliis Ecclesiæ remediis
experietur vtrum non fallat & mentiatur
fraudulentus hostis; & diligenter observa-
bit, vtrum in energumeno nulla amplius
deprehendantur signa veri obsessi.

M A-